

Respondeo negative. Ratio est, quia nulla clausula in Constitutione Gregoriana contenta in casu violatur, & signanter (in quo unice esse potest difficultas) aut ly *prætextu confessionis*, quia nullum præcessit confessionis velamen, aut ly *occasione Confessionis*, quia nulla præcessit causa confessionis invitatio: ita cum Puteob. de pœnit. q. 5. art. 9. n. 24. versus finem citante Bordonum.

CAS. II. Faber lignarius ad mortem vulneratus, remittit vulneratori suo & injuriam, & damna, quæ inde familiæ sequuntur. Q. an Filii, mortuo Patre, possint petere ab occisore damnorum compensationem.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia jus ad compensationem damnorum, quæ familiæ in casu sequuntur, non acquiritur occiso, nec ab ipso derivatur in filios, sed immediate acquiritur filiis, quorum jus læsum est; filii enim jus habent, ut à Pater alantur; hinc ne eis ab aliquo alimenta impeditantur; unde Pater non potuit de tali jure sic iis acquisito disponere, sique licite filii possunt ab occisore petere damnorum compensationem. Ita cum Lug. de just. disp. 4. sect. 3. n. 63.

CAS. III. Paulus, cum posset impedire furtum, & damnum vicino suo inferendum, non impedivit, accepta pecunia, ut taceret. Q. utrum acceptam pecuniam posset retinere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia sicuti Paulus potuisse illam retinere ob alia onera, ita ob servandum silentium tempore, quo furtum committebatur; licet enim peccaverit tacendo, illa tamen culpabilis omissione erat pretio æstimabilis, unde potest acceptam pecuniam retinere, nisi & ipsa esset furtiva, quia tunc clamaret ad Dominum, ita comm.

ANNO MDCCXXXII. MENSE JANUARII.

CAS. I. **S**acerdos post Missæ celebrationem ad Sacristiam reversus, certo cognoscens non vinum, sed aquam consecrassæ, dubitauit tenetur per vini consecrationem defectum supplere. Q. quid dicendum.

Respondeo, non teneri, ita cum Suar. in 3. p. disp. 85. sect. 1. Gobat. tom. 1. tr. 3. cas. 23. sect. 1. Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 5. num. 6. Ratio est, quia, Sacerdote ad Sacristiam reverso, jam Missa omnino esset absoluta, unde nova consecratio non esset reintegratio primi Sacrificii, quia esset actio omnino moraliter distincta, quæ cum priori non coniungetur, sicuti uniretur, si defectu detecto ad Altare, tunc nova fieret vini consecratio. Neque hæc unio moralis haberetur ratione continuationis temporis, ut prætendit Tannerus, ex quo immediate post ingressum in Sacristiam error deneretur; nam moralis coniunctio actionis non habetur à tempore, sed ex iis omnibus, quæ Missam constituunt, quæ cum essent absolu-

lu-

tuta; non unirentur moraliter cum nova vini consecratione.

CAS. II. Titius non confirmatus tenuit in confirmatione Petrum filium Bertæ, cum qua, vidua facta, matrimonium inicit. Q. an valide.

Respondeo probabilius affirmative. Ratio est, quia per cap. in Bap. de cons. dist. 4. ita non confirmatus est exclusus à Patrio Confirmationis, ac Infidelis: sed hic per omnes est exclusus nedum quoad lictum, sed etiam quoad validum usum patrini, ergo & ille: unde per incapacitatem ad contrahendam cognitionem spiritualem in Confirmatione, in hac Titius tenendo filium Bertæ nullum contraxit impedimentum dirimens matrimonium contrahibile inter ipsum & Bertam, sive hoc initio, ex hoc capite invalidum non est censendum. Ita Gloss. in dicto cap. de Baptis. Sanch. Girib. de Confirmatione contra Lacroix, & plures alios non improbabiliter oppositum sustinentes.

CAS. III. Parochus non habens redditus nedum à Concilio taxatos, sed nec sufficientes ad congrue se sustentandum, non applicat diebus festis Sacrificium pro populo. Q. an sit tutus in conscientia.

Respondeo negative. Ratio eruitur ex Sacrae Congregationis Decretis toties repetitis, & specialiter ex illis sub die 8. Februarii 1716. & die 29. Januarii 1734. in quorum primo proposito dubio, an non habentes congruam teneantur applicare Missam pro populo saltem diebus festis, ita ut sint cogendi in casu &c. respondit affirmative, censuitque, danda esse decreta, alias de ea re edita: in secundo, proposito eodem dubio de Parochis Casiri Romani, Porciliani, & Decimæ, qui nihil à Populo recipiunt, cum id, quod habent, à Dominis Castrorum consequantur, respondit, teneri. Nec obstat insufficientia reddituum ad se sustentandos; nam sicuti non obstat hæc ratio, quia acceptans stipendum minus congruum pro celebrazione Missarum, teneatur totas Missas celebrare, quot promisit, ut ex Decreto Sacrae Congregationis tenetur, ita nec obstar, ut Petrus acceptans Ecclesiam, cujus redditus ad sustentationem non sufficiunt, teneatur diebus festis Missam pro populo applicare, utrobique enim militat eadem ratio.

MENSE FEBRUARII.

CAS. I. **O**brenta à Titio super impedimentum criminis dispensatione ad validum cum Berta matrimonium ineundum, dubitatur, an pro validitate matrimonii Berta talis impedimenti conscientia debeat & ipsa pro dispensatione ad sacram Pœnitentiariam recurrere. Q. quid dicendum.

Respondeo negative. Ratio est, quia, quando in materia de contrahendo Literæ Sacrae Pœnitentiariae conceduntur uni parti, possunt etiam alteri parti impedimento conscientia suffragari, cum non stet impedimentum esse sublatum quoad unam partem, & non quoad alteram, quare absque novo recurso Berta conscientia dispensationis à Titio obtientæ poterit valide cum ipso matrimonium inire; ita cum Tib. Navarr. in 1. p. de disp. matrim. de meo Rosign. de matrim.

CAS. II. Parochio defertur puer vix natus, cuius parentes ignorantur, habens

bens collo appensam chartulam, in qua legitur fuisse baptizatum, eique nomen Petri impositum. Q. an Parochus possit, & debeat talem puerum sub conditione rebaptizare.

Respondeo, Parochum teneri prius inquirere, an valeat habere notitiam illum qui schedulam inscripsit, quam si habere nequeat, potest, & tenetur infantem sub hac conditione baptizare, si non es baptizatus, &c. quia deest probatio ad moraliter certo credendum infantem fuisse baptizatum; si vero haber notitiam scriptoris; & hic sit fide dignus, nec debet, nec potest illum sub conditione baptizare, quia sicuti dicto unius fide digni probatur collatio baptismatis, ut ex Can. Pueros 110. & Can. Itaque 112. de Consecr. dist. 4. ita per schedulam taliter qualificatam moraliter certo credendum est infantem fuisse baptizatum: quod si scriptor non sit fide dignus, debet ita se gerere, ac si nulla schedula haberetur: constat hoc totum, tum ex Concil. 3. Mediolan. sub S. Carolo, tum ex quo Sacr. Congreg. ad dubium propositum: Quomodo se gerere debeat Parochus S. Spiritus in Saxia, in collatione baptismatis infantibus, qui ad Archihospitale deferantur, sive idem habeant schedulam de baptismo testantem, sive non habeant, & etiam si ex colore, & ceteris corporis qualitatibus deprehendatur eosdem esse constitutos in aetate sex, aut decem mensium, vel etiam unius anni cum dimidio: respondit die 15. Januarii 1724. esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expensis juxta instructionem: Instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae habeat certitudinem: ita legitur in Notificatione Eminentissimi nostri in primo volumine sub num. 8. contento.

CAS. III. Parochus videt Rusticos nullo impedimento detentos Missam audire ante januam, aut fenestram Ecclesiae, nec illos monet teneri Ecclesiam ingredi. Q. an peccet non monendo.

Respondeo negative. Ratio est, quia Rustici è tali loco Missam audientes præcepto satisfacerent; licet enim non essent in Ecclesia, tamen non essent ab Ecclesia sejuncti, nec inter ipsos & Ecclesiam aliqua interruptio haberetur; ut contingeret, si inter ipsos & Ecclesiam aliquid mediaret, ratione cuius sejunctionis, & interruptionis plures merito dubitant, an existens in fenestra domus sejunctæ ab Ecclesia satisfaceret præcepto de audienda Missa. Etenim in casu Rustici fenestræ, vel januæ Ecclesiae adhaerent, quæ sunt partes Ecclesiae; & quidem aptæ ad audiendum, vel videntum quid sacerdos agat in Missa, unde non esset, cur non præcepto satisfacerent; consequenter non appetet, quomodo valeat peccare Parochus illos non monendo teneri Ecclesiam ingredi, licet optimum esset, si ad ingressum in Ecclesiam Rusticos consuleret: ita cum de Lugo disp. 22. num. 2. Gitib. tr. 8. de observ. fest. c. 2. dub. 3. num. 24.

MENS E M A R T II.

CAS.I. Parochus cum apud non paucos DD. legisset, posse Confessarium Jubilæi tempore ab heresi absolvere, anno præterito tempore Jubilæi Titium tali crimine innodatum absolvit. Q. an in re potuisset illum absolvere.

Res-

Respondeo negative. Ratio est, quia licet antiquitus affirmativa sententia non esset probabilitate destituta, hodie est absolute improbabilis propter oppositionem declarationem sub Alex. VII. die 23. Martii 1656. emanatam, quam quilibet videre poterit apud Matthæuc. de off. Cur. Eccles. c. 2. n. 18. Card. Petra ad Const. Apostol. tom. 3. part. 180. Anaclet. tom. 5. Iuris Can. tit. 7. de hereticis, num. 405. & sicuti de illa nequit dubitari, ita hodie non est controversia locus.

CAS. II. Parochus habens nedum congruam, sed redditus valde congruam sustentationem excedentes, solum diebus festis applicat Sacrificium pro populo. Q. an satisfaciat suæ obligationi.

Respondeo affirmative. Ratio desumitur ex quo Sacr. Congr. die 8. Februarii 1716. proposito dubio: an Parochi habentes pingues redditus teneantur, quotidie Missam applicare pro populo &c respondit negative, nihil aliud addendo, ubi per ly negative clare constat tales Parochos non teneri Missam applicare pro populo quotidie; nihil vero addendo, denotat satis esse ut illum applicent pro populo diebus festis, ut cæteri Parochi, sicut licet redditus sint valde pingues, sufficit, ut recitent officium divinum, quod recitant alii habentes beneficium tenuerint.

CAS. III. Parochus, ad quem fuit delatus infans ab Obstetricie domi baptizatus, illum statim sub conditione rebaptizavit, hac motu ratione, quod de Baptismo ab Obstetricie collato semper dubitari potest. Q. an bene se gesserit, vel aliquam poenam incurrit.

Respondeo male se gessisse, & irregularitatem incurrisse. Ratio primæ partis est, quia non licet rebaptizare sub conditione, nisi dubium suboriatur vel circa collationem, vel circa validitatem Baptismi collati, quod dubium non habetur præcise, ex quo Baptisma fuerit ab obstetricie collatum; cum Obstetrices post diligens examen approbatæ, quales esse debent in hac Diocesi de mandato Eminentissimi Archiepiscopi, validum valeant Baptismæ conferre. Ratio secundæ partis desumitur ex Catechis. Sacr. Concil. Trid. p. 2. de Offic. Baptism. num. 57. ubi habetur: rebaptizantem puerum sine debito examine, irregularitatis poenam contra rebaptizantes incurrit. Debeat ergo Parochus prius indagare, an Obstetrica esset ex approbatis, & sic se abstineret a Baptismi, etiam conditionati, collatione: an vero ex non approbatis, & sic obstetricem examinare, an quæ Ecclesia præcepit in Baptismi collatione servasset, vel non: si servasset, non debebat illum ullo modo baptizare; si non servasset, debebat absolute infantem baptizare: si solum fuisset dubium an illa servasset, debebat illi sub conditione Baptismum conferre.

M E N S E A P R I L I S.

CAS.I. R uisticus, instante quadragesimali jejuniu, dubitat an compleverit annum 21. adhibitaque diligentia, non potest certior fieri. Quæritur an teneatur jejuniu servare.

Respondeo negative. Ratio est, quia nemo obligatur lege, nisi haec illi sit sufficienter proposita, scitis, ut patet, est in possessione libertas; non est autem taliter proposita, quousque post sufficientem diligentiam manet quis

bonum

K

du-

dubius, an lex sit illi imposta, necne; res ita se habent quoad legem jejuniū relate ad Rusticum nostrum, ut ex terminis casus, ideoque non teneatur jejunii legem servare. Suarez t. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 9. n. 14. & tom. 3. de relig. lib. 4. de voto, c. 5. n. 7.

CAS. II. Parochus putat non ex debito, sed solum ex quadam convenientia, & ad vitandam poenam duorum aureorum teneri Ecclesiam Matricem adire, ut Fontis benedictioni assistat. Q. an bene sentiat.

Respondeo negative. Ratio est, quia Parochi rurales tenentur adire Ecclesiam Matricem, ut Fontis benedictioni assistant, non praeceps ad poenam pecuniariam vitandam, aut ex quadam convenientia, sed ut pareant Sacrae Congregati. Concil. ita praecipienti per suum Decretum in una Savon. die 17. Novembris 1691. ut refert Eminentissimus Petra tom. 3. pag. 53. num. 19.

CAS. III. Parochus, quia legitime impeditus adire Ecclesiam Matricem, ut assistat Fontis benedictioni, per famulum mittit Vicario Foraneo excusationem. Q. an bene faciat.

Respondeo negative, cum Eminentissimus Archiepiscopus in sua Notificatione de benedictione Fontis Baptis. quæ in primo volumine est p. in n. præcipiat, Parochum legitime impeditum adire Ecclesiam Matricem teneri, & impedimenti causa justificata, mittere alterum Sacerdotem, qui loco ipsius Fontis baptismalis benedictioni assistat; ex quo clare constat non satis esse per famulum mittere Vicario Foraneo impedimenti excusationem.

MENSE MAI.

CAS. I. Risticus Paschali tempore Eucharistiam sumpsit in Ecclesia Metropolitana, & schedulam ibi obtentam Parochio suo ruralli ostendit, putans sic præcepto Paschatis satisfecisse. Q. an satisficerit.

Respondeo negative. Tum quia, si ex Decreto. Innoc. XI. 5. Febr. 1682. non satisfaciunt præcepto Paschatis Eucharistiam sumentes Romæ in Ecclesia S. Joan. Later. & S. Petri, ut aperte legitur apud Pignat. tom. 7. consult. 89. num. 18. ita nec qui Bononiæ illam sumunt in Ecclesia Metropolitana, nisi adsit Parochi, aut Vicarii generalis, aut Eminentissimi Archiepiscopi expressa licentia, quæ nec quidem supponi potest, cum oppositum colligatur ex ejus Notificatione, quæ in primo volumine sub. num. 18. habetur; tum quia, ut ait Card. de Lugo, sicut Rustici, absque speciali licentia nequeunt matrimonium contrahere coram Parochio Ecclesiæ Metropolitanae, ita nec in hac paschale præceptum adimplere.

CAS. II. Parochus ex Confessione sciens famulum suum esse furem, claudit capselas, quas prius non claudebat, illo non uititur ad numerandas pecunias, sicuti utebatur. Q. an violet sigillum.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia ex vi scientiae Confessionis efficeret, & omittaret, quod alias non esset facturus, vel omissurus, cuius ratione confessio famulo redderetur odiosa, cum esset tacite illum exprobare, cum illius verecundia & rubore contra finem sigilli sacramentalis, qui fuit, & est, ne difficilem reddendo confessionem, ab hac fideles retraherentur, quod

quod totum sane esset sigillum confessionis violare. Lugo de poenit. Diana part. 3. tr. 4. v. 76. quidquid dicant alii apud Leand. q. 62.

CAS. III. Titius furatus est Vitulum valoris 10. illum educavit in Bovem valentem 20. postea paullatim decrevit ad 15. Q. secundum quem valorem teneatur restituere.

Respondeo, teneri restituere animal, si adest (ut supponitur) cum lucro cessante, & damno emergente, si quod occasione furti sequutum est. Ratio est, quia Titius est possessor malæ fidei, hic autem tenetur restituere rem si extat, & damna si quæ sequuta sunt, compensare: ergo Titius tenetur primo restituere animal furto sublatum, cujuscumque valoris sit de praesenti, detractis expensis, quas Dominus fecisset, quia augmentum, vel decrementum valoris est animali intrinsecum, quod in utilitatem, vel damnum Domini cedit, qui numquam animalis dominium amisit; tenetur secundo damnum Domino per furtum illatum compensare, considerando valore Bovis respective ad tempus, quo illud vendidisset, quod unice ex circumstantiis personæ, officii, vel hujusmodi colligi potest; & si his omnibus bene persensis, res esset adhuc dubia, compensandum est damnum juxta valorem taxandum a prudentibus, & peritis in arte.

MENSE JUNII.

CAS. I. Parochus, cuius redditus pingues sunt, Missam traditam celebrandam, die Dominica celebravit, dein intra hebdomadam pro populo obtulit Sacrificium. Q. an licite.

Respondeo probabilitate affirmativa. Ratio est, quia sicuti Parochi habentes redditus pingues, ex dictis in response ad secundum casum Martii, pari passu currunt quoad applicationem Sacrificii pro populo diebus festis cum ceteris Parochiis; ita pari passu currere debent quoad libertatem applicandi Sacrificium pro populo die feriali; die festo celebrando pro eo, qui eis traderet eleemosynam; sed hanc libertatem habent Parochi habentes redditus tenues, ut clare constat ex response ad dubium propositum Sac. Congregat. die 26. Jan. 1724, quam videre non pigear in Notificatione ab Eminentissimo nostro edita die 14. Octob. 1732. Ergo, & hoc probabilitate facere possunt Parochi habentes redditus pingues. Dico probabilitate, quia Sac. Cong. responsum est solum pro Parochiis pauperibus, de quibus tantum fit mentio in dubio proposito.

CAS. II. Parochus ad valvas Ecclesiæ Puerum recenter natum videns absque villa chartula collo appensa, absolute baptizavit. Q. an bene.

Respondeo negative. Ratio est, quia non est absolute baptizandus Infans, de quo certo moraliter non constat non fuisse baptizatum, ne Sacramentum pericolo frustrationis exponatur; hoc autem non constabat de Puer in causa, eo quia licet commune sit his infantibus expositis baptizatis testimonium habere, quo carebat infans præsens; tamen, quia sumus in locis Christianorum, haberet poterat præsumptio aliqua de Baptismo collato, ratione cuius non habebatur moralis certitudo de non collatione Baptismi, & ideo non erat absolute baptizandus; hic Parochus taliter illum baptizando male se ges-

gessit. Videatur in confirmatione resolutionis Decretum citatum in response ad casum secundum Februarii.

CAS. III. Confessarius cuiusdam oppidi manifestavit quibusdam amicis in tali oppido gravia peccata patrari. Q. an absque sigilli fractione.

Respondeo negative. Ratio est, quia licet dubitent aliqui, & alii magis communiter negent Confessarium frangere sigillum talia manifestando, si agatur de ampla Civitate, & Dicecesi, quia sic nulli fieret injuria, nec esset periculum, ut aliquis in particulari dignosceretur; tamen cum in praesenti sermo sit de Oppido, quod, ut plurimum, non est locus valde amplus, nec multum populatus, certum est Confessarium manifestantem in tali Oppido gravia peccata patrari, frangere sigillum Sacramentale, quia facile ex tali locutione saltem suspicio contra famam particularium redundare, quod sufficit ad sigilli fractionem; ita communiter cum Leand. de poenit. q. 30. & 32.

M E N S E J U L I I .

CAS. I. Parochus cum quadam solum suspicione legis prohibentis alienare bona Ecclesiae, domum quamdam propria auctoritate alienavit ad Ecclesiam suam restaurandam, & ornandam. Q. an graviter peccaverit, & inciderit in poenas Extravag. Ambitiosæ &c.

Respondeo graviter peccasse, non tamen in poenas incidisse. Ratio est, quia posita suspicione de existentia legis prohibentiis alienare bona Ecclesiae stabilia propria auctoritate etiam ad Ecclesiam restaurandam, Parochus tenebatur inquirere, num revera talis lex extaret, & obligaret; ad hoc enim obligat quilibet ex eo ipso, quod de illa datur aliqua suspicio, cum per talem suspicionem erroneitatis conscientiae nequeat esse invincibiliter excusatus a peccato; unde taliter alienando supradictam domum absque prævia inquisitione, stante materia gravi, qualis est domus, graviter peccat; quia tamen per dictam suspicionem haberi nequit in Parocco præsumptio, & temeritas, quæ legis notitiam supponit, ut requiritur ad incurendas poenas in citata Extravag. Ambitiosæ contentas, cum sint latæ contra præsumentes alienare &c. ut Bullam legenti constabit; ideo Parochus, licet graviter deliquerit, in foro tamen interno prædictas poenas non incurrit. Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 82. sect. 3. quoad primam casus partem, quoad secundam tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 5. num. 1.

CAS. II. Parochus, cuius Ecclesia sita est prope Archipresbyteralem, in qua Archipresbyter speciali doctrina, & sanctitate prædictus omnibus diebus festis magno animarum fructu non unam, sed plures habet Concisiones, non prædicat diebus festis, putans melius esse ad suatum ovium salutem, quem numerus exiguis est, has petere ad audiendum Archipresbyterum. Q. an attenta hac circumstantia, Parochus sit a peccato immunis.

Respondeo negative. Ratio sumitur ex Tridentino sess. 5. cap. 2. de refor. ubi omnibus Parochis aperte præcipit Concisiones habere diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, tum etiam ex Constitut. Innoc. XIII. pro regimine Ecclesiarum pro regnis Hispaniarum edita, & a Bened. XIII. tamquam regula pro aliis Ordinariis confirmata, ubi adductis excusa-

tionibus, quibus Parochi Concionem non habentes culpam a se amovere nituntur, & præserit copia aliorum habentium sacras Concisiones in aliis Ecclesiis, haec habentur: Nec itaque sub inani, aliarumque simili excusationum prætextu tanta Christianæ Reipublicæ pernicies struatur, districte præcipimus &c. quare cum Parochus in casu dicto præcepto non satisfaceret, non esset a peccato immunis.

CAS. III. Parochus quia docet publice Doctrinam Christianam, putat satisfacere suæ obligationi, licet sciat pluribus inter adstantes rudis minervæ talem publicam instructionem non sufficere ad fidei rudimenta addiscenda. Q. an bene sentiat.

Respondeo negative. Ratio est, quia posita scientia, quod pluribus ex adstantibus non sufficiat publica instructio ad fidei rudimenta addiscenda, per accidens tenetur Parochus illos etiam privatim edocere; Si enim ad ipsum spectat illis Sacraenta ministrare, quorum capaces esse nequeunt, si laborent ignorantia mysteriorum fidei, ut ex propositione 64. ab Innoc. XI. damnata, sequitur teneri taliter suos Parochianos instruere, ut prædictam vincant ignorantiam, & sic capaces fiant validæ, & licet sacramentorum susceptionis: consequenter, si pro illis publica non sufficiat instructio, etiam illos privatim edocere.

M E N S E A U G U S T I .

CAS. I. **T**itius pauper jam maturæ ætatis elegit in patrimonium Confirmationis Paulum divitem, a quo ingentem sperat eleemosynam; at quia Paulus est vix 15. annis natus, obstat Parochus tali electioni, & quidem cum magna Titij tristitia. Q. an bene se gesserit Parochus.

Respondeo affirmative, quia paruit mandato Eminentissimi Archiepiscopi, quia in sua Notificatione edita 15. Septembbris 1732. præcipit absolute in confirmationis ministerio executioni demandari, quod in Concil. Med. 5. fuit sancitum, & quantum spectat ad casum præsentem, ne juvenes senes teneant in Confirmationis Sacramento, cum (en ratio Concilii) minime hoc per ætatem conveniat.

CAS. II. Parochus de Concionibus habendis parum solitus, omittit prædicare per integrum mensem. Q. an lethaliter peccaverit.

Respondeo affirmative, quia integer mensis, & in se, & respective est materia gravis, ut aperie docet Leand. tract. 7. de Paroch. q. 15. ubi alios citat: quod sane est maxime rationi consonum, cum integer mensis relate ad quancumque aliam materiam in praxi, ut pars notabilis, sicque materia gravis consideretur.

CAS. III. Rusticus saepe maledicit diei, horæ, ventis, pluviis, & hujusmodi. Q. an peccet graviter.

Respondeo regulariter loquendo negative. Ratio est, quia regulariter Rustici non maledicunt ventis, pluviis, &c. quatenus Deus illius, utitur ad nos puniendum, in qua hypothesi, cum esset indignatio contra Deum, est set peccatum grave: bene vero, quia venti, pluviae, &c. solent illis aliquam molestiam afferre; quæ tamen, cum non sit justa causa maledicendi,